Oratio I (Latin)

Pseudo-Cyprian (3rd century and later)

SermonIndex.net / Church Fathers

Oratio I

X. Oratio I

Hagios, hagios, hagios, sancte sanctorum, pater patrum nostrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus prophetarum, Deus apostolorum, Deus uirginum, Deus bene uiuentium, Deus credentium, Deus et pater Domini nostri Iesu Christi filii tui: te inuocamus supplices pariter et deprecamur [fili unigenite], qui ex ore altissimi procreatus es ante mundi dispositionem et ex Mariae sanctae uirginis utero per mysterium editus: orantibus nobis desiderium animae, etiam integritatem cordis praestare dignare, ut lauacro salutari expiatum pectus delictis carnalibus incolume persistat. petimus fide inlibata, mente incorrupta, deuotione robusta, operatione seu dilectione continua, in tua ecclesia sancta semper nos florere permittas: quoniam tibi flectimus genua, curuamus ceruices, cui angeli archangeli milia milium martyrum. chorus apostolorum et prophetarum gloria exultant, cui omnes aues laudes canunt, linguae confitentur caelestium terrestrium et infernorum : tibi omnes aquae in caelo et sub caelo confitentur, te insensibilia sentiunt: tu es solus et praeter te nemo. te quaesumus, Domine pater omnipotens, qui soli filio conspectabilis es : angeli et archangeli obtemperant tibi Domine pater: te oramus, tribuas nobis mentem integram, innocentiam puram, sinceritatem deuotam, conscientiam sanctam [puram] sobriam castam, contra omnes insidias saeculi gloriosa fide degentem: contra diaboli minas et carnales inlecebras munitum pectus concedas, ne uiolenti et cruenti hostis letalibus laqueis implicemur, ut signum salutis aeternae incolume perferamus. arce a nobis omnem saeculi inluuiem omnemque diaboli persuasionem. laqueetur, concidat et separetur et amoueatur, sicut a Sarra famula tua Asmodaeus daemon nequissimus extinctus est per angelum tuum sanctum tuum Raphael. et sicut Tobiae adfuisti, ita mihi adesse digneris. et ut tribus pueris in camino et Danielo misericordiam praestitisti, sic circa nos tuos famulos facere digneris. qui mortuos suscitasti, caecos inluminasti, surdis auditum, mutis eloquium, claudis gressum, leprosis sanitatem dedisti: ita da famulis tuis, qui in te tota uirtute mentis credimus natum passum. uenturum iudicare uiuos et mortuos. adsiste nobis, sicut apostolis in uinculis, Teclae in ignibus, Paulo in persecutionibus, Petro in fluctibus. qui sedes super septem thronos ad dexteram patris, respice nos et libera de aeternae mortis interitu: unus in uno, pater in filio, filius in patre, spiritus sanctus, per quem et cum quo est tibi in sancta ecclesia honor uirtus claritas maiestas potestas benedictio inmortalitas nunc et in aeternum semper et in omnia saecula saeculorum. amen.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***S. Thasci Caecili Cypriani Opera omnia*** edited by Wilhelm von Hartel (Vienna, Gerold: 1871) Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum 3.3), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.